

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVII - N. 1

2005

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2005

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

Salutatio 3

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administratos Advocatosque Rotae Romanae
coram admissos 29 ianuarii 2004 5

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

MOTU PROPRIO Summi Pontificis Benedicti XVI quoad Basilicam Sancti Pauli extra
Moenia et eius Complexum extraterritorialem 8

EX ACTIS CONSILII

Dignitas connubii. Instructio servanda a tribunalibus dioecesanis et interdioecesanis in
pertractandis causis nullitatis matrimonii 11

Sermones (Herranz, Amato, Sorrentino, De Paolis, Stankiewicz) habitu occasione prae-
sentationis Instructionis *Dignitas connubii* 93

NOTA EXPLICATIVA

Responsum ad tres quaestiones propositas circa clausulam «de consensu partium»
can. 1681 CIC 107

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE 113

RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS 114

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio V) 116

NOTITIAE 139

OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA 140

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII «DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS»

Sessio V^a

(diebus 13-17 maii 1968 habita)

Diebus 13-17 maii 1968, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici Recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de bonis Ecclesiae temporalibus.

Conventui intererant Ill.mi ac Rev.mi DD. Hercules Crovella, Vincen-
tius Fagiolo, Laurentius McReavy; Rev.mi PP. Athanasius Welykyj, Ulricus Beste, Alfonsus Stickler; Ill.mus Prof. Eugenius Isele.


Praeerat Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis;
Relatoris munere fungebatur Ill.mus ac Rev.mus Hercules Crovella; actua-
rii munere fungebatur Rev.dus Franciscus Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

- a) num normae § 2, can. 1523, in praecedenti sessione iam probatae,
remittendae sint iuribus particularibus, iuxta propositionem a P. Faltin
factam;
- b) de § 3 (olim 2) can. 1527;
- c) de inscriptione tituli et de structura huius partis Codicis de bonis
administrandis et de contractibus;
- d) de recognitione cann. 1529-1534 CIC.

Adunatio I^a die 13 maii 1968 mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et introducit argu-
menta in hac Sessione examinanda. Deinde petit a Rev.mo Relatore ut
singulas quaestiones proponat.



1. Rev.mus Relator dicit primo examinandam esse propositionem a P. Faltin factam ut nempe normae § 2 can. 1523,¹ in Sessione quarta iam probatae, iuribus particularibus remittantur.

Suffragatur placeatne propositio Faltin:
Nemini placet.

2. *De § 3 (olim § 2) can. 1957.*

Rev.mus Relator ante omnia proponit ut duae paragraphi canonis 1527, in praecedenti sessione iam prolatae, inverso ordine disponantur ita ut secunda paragraphus primo loco et prima paragraphus stet secundo loco.

Propositio omnibus placet.

Deinde Rev.mus Relator revocat quaestiones de § 3, qua statui debet quis teneatur (Ecclesia, vel administratores?) actibus invalide vel illicite positis.

In praecedenti Sessione sequentes hae propositiones, circa formulam § 3, factae sunt:

a) Ecclesia non tenetur actibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris invalide positis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit.

(Hic textus fere idem est atque ille qui legitur, in can. 1527, § 2, CIC).

b) Ecclesia non tenetur actibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris invalide positis. De actibus administrationis illicitis, etsi validis, administratores ipsi respondent. Ecclesia autem respondet quando et quatenus in rem suam versum sit.

c) Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus tamen illicitis sed validis respondere tenetur salvo iure recursus contra illos qui damna eidem intulerunt.

Rev.mus Relator ipse notat quod invaliditas actus baberi potest non tantum ex absentia facultatis a legitimo Superiore scripto concedendae pro actibus extraordinariae administrationis, sed etiam ex aliis causis, quales esse possunt, exempli gratia, malitia, negligentia gravis, ignorantia voluntaria et culpabilis; quae haberi possunt in actibus tam ordinariae quam extraordinariae administrationis, et exinde damna oriri possunt non tantum per-

¹ Cf. Relationem IV^{ae} Sessionis [*Communicationes* 36 (2004) 331-332] ubi habetur textus can. 1523.

sonae morali vel instituto ecclesiasticis sed etiam privatis. Bene igitur in tex-
tu, sub littera c), nulla relatio habetur ad licentiam legitimi Superioris obti-
nendam, sed absque limitatione invaliditas actuum consideratur. Quo in
casu valere debet propositio, ab Exc.mo Consultore, in praecedenti Sessio-
ne, facta, ut administratores ipsi respondeant coram eis qui ex eorum acti-
bus damna passi sunt.

Si autem concessa est licentia legitimi Superioris pro actibus extraordinariae administrationis, praesumptio habetur omnia ad normas iustitiae et iuris conformia esse.

Nullus alias casus nullitatis in iure administrativo praevideatur nisi absentia licentiae legitimi Superioris pro actibus extraordinariae admini-
strationis; in ordinaria autem administratione memorata licentia non re-
quiritur, secus administratoribus nulla esset facultas agendi.

Illiciti autem, sed validi, sunt actus pro quibus nonnullae normae iuris
communis vel particularis quae non praecipiuntur sub sanctione nullitatis
ab administratoribus non sunt servatae tam in ordinaria quam in extraor-
dinaria administratione. His in casibus nonnisi raro oriuntur vera et realia
damna, quia defectus habent tantum in procedura iure statuta.

His itaque consideratis, Rev.mus Relator censet textum sub littera c) rela-
tum admitti posse, si aliquo modo etiam propositio Exc.mi Consultoris pree-
oculis habeatur, exempli gratia in alia paragapho statuendo: «Administrato-
res respondere tenentur coram eis qui ex eorum actibus damna passi sunt».

Rev.mus primus Consultor consentit cum Rev.mo Relatore, sed omnia
in unam tantum paragaphum componere vellet per hanc formulam:

«Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tene-
tur actibus ab administratoribus suis invalide positis; de his vero responde-
re debent ipsi administratores coram illis qui damnum exinde passi fuerint.
De actibus autem ab eisdem illicite sed valide positis respondebit Ecclesia,
salvo eius iure recurrendi contra illos qui damna ei intulerint».

Rev.mus secundus Consultor vellet potius formulam sub littera a) re-
latam; formula sub c) relata ipsi non placet, quia distinctio inter actus in-
validos et actus illicitos, quoad responsabilitatem administratorum, plures
difficultates gignit. Item non placet alia paragaphus, ad mentem Exc.mi
Consultoris, quia de damnis ex actibus invalidis, cum licentia Superioris
tamen positis, respondere debent potius personae morales.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur: «*Subiecta iuris patrimo-
nialis ecclesiastici non tenentur, etc.*» loco «*Ecclesia non tenetur*».

Ipse Rev.mus tertius Consultor tenet quod Ecclesia respondere tenetur
de actibus, ab administratoribus extra ordinariam administrationem illicite

sed valide et, intra ordinariam administrationem, sive illecite sive invalide, erga alios in bona fide constitutos, positis. Secus instabilitas negotiorum haberetur.

III.mus quartus Consultor censet quod tribunalia ecclesiastica, nostris temporibus, nequeunt exsecutionem legum in re patrimoniali urgere. Quapropter melius esset quaestiones de responsabilitate administratorum remittere ad iura civilia. Ceterum, munus Ecclesiae est sanctificatio animarum, ad quod munus adimplendum non videtur Ecclesia indigere legibus de rebus patrimonialibus.

Alii Consultores recusant sententiam Ill.mi quarti Consultoris affirmantes Ecclesiam, ut societatem perfectam, habere suum ordinem iuridicum completum. Quaestio potius poni posset de canonizandis iuribus civilibus, etiam in causis de responsabilitate administratorum, sicut et in causis de contractibus.

Rev.mus Secretarius dicit canonizationem iurium civilium in hac materia esse periculosam. Ius canonicum enim adhaeret principiis iuris naturalis (ex. gr. quando clausulam ponit: nisi quando et quatenus in rem suam versum sit), quod quidem non semper de iuribus civilibus dici potest.

Ad formulam quod attinet, Rev.mus Secretarius notat fere omnes Consultores concordare circa ea quae in formula sub c) habentur. Si placet, posset illa formula perpoliri, omitendo propositionem Exc.mi Consultoris.

Omnes Consultores consentiunt Rev.mo Secretario, et formula § 3 canonis 1527 ita redigitur:

« Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non teneatur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos qui damna eidem intulerint ».

Formula omnibus placet.

Adunatio II^a
die 13 maii 1968 vespere habita

3. De inscriptione tituli et de structura huius partis Codicis

Rev.mus Relator refert sententias quas singuli Consultores in suis votis circa hanc quaestionem proposuerunt. Sed cito Rev.mus Relator ipse animadvertisit quaestionem de titulo et de structura aptius examinari posse postquam etiam canones Tit. XXIX (Lib. III CIC) recogniti sint. Nonnulli

enim canones huius tituli videntur supprimendi vel ad aliam partem Codicis transferendi. Exinde facilius ac definitive quaestio de titulo ac de structura absolvit poterit.

Consentit Rev.mus tertius Consultor, qui aliam rationem addit ad quaestionem procrastinandam, opportunitatem nempe exspectandi exitus laborum Coetus de nova systematica Codicis.

Habetur inde aliqua discussio inter Consultores, qui tandem concordant cum Rev.mo Relatore ut quaestio de titulo ac de structura opportuniore tempora examinetur.

4. *De recognitione cann. 1529-1534*

Can. 1529

Cum dilata sit solutio quaestionis de structura ac de titulo huius partis Codicis, Rev.mus Secretarius *proponit ut quaestio quoque de canone 1529 seponatur* ut de ipso sermo fiat quando agetur de contractibus ac de solutionibus.

Ill.mus quartus Consultor censem canonizationem, de qua in canone 1529, extendi posse etiam ad ea quae ius civile statuit circa alienationes, emptiones, etc., ac proinde canones tituli XXIX (Lib. III CIC) omitti posse.

Rev.mus primus Consultor animadvertis canonizationem de qua in canone 1529 spectare tantum ad modalitates contractuum ac solutionum. Ecclesia tamen, in suo iure, sancire potest ac debet conditiones servandas ut alienationes, emptiones, donationes, etc. fieri possint.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi Secretarii:

Placet omnibus.

Can. 1530

Rev.mus Relator legit propositionem quam in suis votis duo Consultores absentes fecerunt ut omittatur nempe referentia ad canonem 1281 § 1.

Propositio omnibus placet.

Deinde fit discussio circa propositionem Rev.mi primi Consultoris qui loco verborum «res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt», proponit ut dicatur: «bona quae ad alicuius personae moralis ecclesiasticae patrimonium stabiliter et legitime pertinent».

Rev.mus primus Consultor dat rationem suae propositionis. Finis legis, dicit ipse, non praecise est cohibere alienationem earum rerum quae ser-

vando servari possunt, sed potius praecavere ne patrimonium Ecclesiae stabile imprudenter ab administratoribus dissipetur. Pecunia, ex. gr., est res mobilis quae servando servari potest; manet tamen alienabilis absque solemnitatibus praescriptis, usquedum, per actum legitimum, fiat pars patrimonii stabilis Ecclesiae.

Propositio Rev.mi primi Consultoris in genere Consultoribus placet.

Quaerit tamen Rev.mus tertius Consultor ab Rev.mo primo Consultore rationem verbi «*legitime* pertinent». Ratio est, dicit Rev.mus primus Consultor, quod vi can. 1523, 5° (recogniti), requiritur Ordinarii consensus antequam pecunia superflua utiliter collocetur, requiritur scilicet ut *per actum legitimum* utiliter collocetur. Post hanc *legitimam* collocationem, huiusmodi pecunia (vel bona) ad patrimonium Ecclesiae stabiliter pertinet, ita ut exinde absque solemnitatibus hic praescriptis alienari nequeant.

Rev.mus Secretarius, hanc rationem Rev.mi primi Consultoris probans, affert exemplum bonorum ex donatione habitorum, quae impendi possunt sive in administratione ordinaria sive in administratione extraordinaria. Ad administrationem autem extraordinariam, ut in casu incrementi patrimonii, requiritur consensus Ordinarii et proinde bene proponitur illud «*legitime*».

Rev.mus Relator proponit hanc formulam, quae magis expolita videtur:

«Ad alienanda bona, quae alicuius personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur...».

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Adunatio III^a
die 14 maii 1968 mane habita

Consultores prosequuntur discussionem circa can. 1530.
Examinantur conditiones praescriptae ad alienanda bona.

1. Aestimatio rei

Rev.mus Relator et aliqui Consultores, etsi tenent necessitatem aestimationis rei alienandae, censem tamen aestimationem non esse imponendam tamquam conditionem ad validitatem alienationis. Est enim prudens administratoris ut aestimet rem alienandam.

Exinde Rev.mus secundus Consultor proponit ut tantum consensus legitimis Superioris, ad validitatem alienationis, exigatur in lege communi; aliae conditiones remittantur iuribus particularibus.

Rev.mus secundus Consultor hanc formulam proponit:

«Ad alienanda bona... (ut supra), requiritur ad validitatem consensus legitimi Superioris, cui onus incumbit urgere adimpletionem aliarum conditionum, quae a iure particulari forte statutae sint».

Rev.mus Secretarius monet Consultores ut perpendant utrum praescribi debeat *consensus an licentia* legitimi Superioris. Si enim *consensus* requiritur, quaestio exurgit de responsabilitate superiorum circa eosdem actus administrationis.

Rev.mus primus Consultor, censet Sanctam Sedem non habere responsabilitatem quando dat licentiam (vel consensum), quia licentia confertur Episcopis, qui *radicaliter* iam illam potestatem habent. Si vero sunt Episcopi qui dant licentiam (vel consensum), responsabilitas quoque Ecclesiae implicatur, quia administratores per illam licentiam (vel consensum) recipiunt facultates quibus omnino carebant.

Rev.mus Relator consentit cum Rev.mo primo Consultore, quia licentia Sanctae Sedis remotionem prohibitionis importat et proinde est actus quidam formalis tantum.

Consentit etiam Rev.mus Secretarius, qui meminit Episcopis competere potestatem ordinariam, propriam ac immediatam in suis dioecesibus, firma semper in omnibus potestate quam habet Summus Pontifex Sibi causas reservandi (cf. Decr. *De Pastorali Episcoporum Munere*, n. 8, *a* et *b*).

Rev.mus secundus Consultor, ex textu Concilii arguens, dicit quod in novo Codice certo recenseri debent causae quas Summus Pontifex Sibi reservavit; de hac quaestione videbitur tamen in Coetu competenti. Ad hanc quaestionem quod attinet, sufficit in hoc canone, pro nunc, consensum «legitimi superioris» praescribere. Si forte causae alienationis S. Sedi reservabuntur, tunc oportebit ut de licentia quoque S. Sedis loquatur.

Suggestio Rev.mi secundi Consultoris placet omnibus.

Deinde quaestio fit de verbis «legitimi superioris»: Rev.mus Relator enim proponit ut dicatur «consensus *Ordinarii*».

Rev.mus Secretarius notat quod etiam alia quaestio examinari debet: utrum scilicet normae Conferentiarum episcopalium in materia alienationis teneant religiosos necne et, consequenter, cui competit dare licentiam religiosis.

Fit aliqua discussio in qua examinantur commoda et incommoda unius vel alterius solutionis.

Aliam quaestionem movet Rev.mus quintus Consultor ut nempe «iusta causa» in lege communi praescribatur ad validitatem alienationis.

Consentit Rev.mus tertius Consultor, qui proponit: «proportionata causa».

Consentit etiam Ill.mus quartus Consultor, qui tamen nollet locutiones generales, ut puta «iusta causa», vel «proportionata causa», sed potius causas ipsas numerare, non tamen taxativo modo, sed per exempla: urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas...

Rev.mus secundus Consultor notat quod si legitimus superior dat consensum, eo ipso suspicari debet iustum causam exstare.

Rev.mi Secretarius et primus Consultor proponunt ut procedatur per gradus iuxta sequentem ordinem et per distinctos canones:

- de consensu legitimi superioris ad alienationes faciendas;
- quinam sint legitimi superiores;
- de rationibus quas legitimi superiores observare debent ad dandum consensum.

Propositio omnibus placet.

2. *De consensu legitimi superioris*

Omnes Consultores concordant circa hanc formulam, quae erit can. 1530:

«Ad alienanda bona quae alicuius personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimi superioris, sine qua alienatio invalida est».

3. *De legitimo superiore*

Committitur Rev.mo primo Consultori ut in proxima adunatione formulam proponat de legitimo superiore.

Adunatio IV^a die 14 maii 1968 vespere habita

Rev.mus primus Consultor duas formulas alternativas proponit de legitimo superiore, cui competit consensum dare ad alienationes faciendas:

«I) § 1. Legimus Superior de qua in can. 1530, sic determinatur:

I° Si agatur de rebus quae valorem a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendum excedunt, est Commissio specialis ad eum finem ab eadem Conferentia constituta.

2º Pro aliis rebus est loci Ordinarius, auditio administrationis Consilio, et cum consensu eorum quorum interest.

§ 2. Si agatur de alienanda re divisibili... (prout nunc in § 4)».

«II) § 1. Legitimus Superior de quo in can. 1530 (recognito) est loci Ordinarius, auditio administrationis Consilio, et cum consensu eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus quae valorem a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendum excedunt, consensus loci Ordinarii approbari (vel confirmari) debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta.

§ 3. Si agatur de alienanda re divisibili... (prout nunc in § 4)».

Consultores seligunt alteram formulam super quam discussionem instituunt.

Omnis Consultores petunt ut Conferentiae episcopales statuant «summam limitem» ultra quam Ordinarii dare nequeunt consensum ad bona alienanda, nisi accedat licentia alicuius qui sit supra Ordinarium. Et quaestio fit ad decernendum cui competit talem licentiam dare.

a) Aliqui vellent talem licentiam reservare S. Sedi (Rev.mi secundus, quintus et tertius Consultores);

b) Alii vellent licentiam reservare alicui Commissioni a Conferentia episcopali ad talem finem constitutae (Rev.mus primus et Ill.mus quartus Consultores);

c) Rev.mus tertius Consultor proponit ut sententiae sub a) et sub b) componantur hoc modo: si valor excedit summam a Conferentia episcopali definitam, consensus Ordinarii approbari debet ab illa speciali Commissione. Si tamen talis excessio est duplo (triplo, quadruplo... decuplo) maior summae a Conferentia definitae, etiam consensus S. Sedis obtineri debet;

d) Rev.mus sextus Consultor animadvertisit principium subsidiarrietatis in hac materia maxime applicandum esse.

Post aliquam discussionem praevaleret sententia Rev.mi tertii Consultoris.

Adhuc queritur quid iuris si Ordinarius det consensum sine licentia huius specialis Commissionis?

Rev.mus Relator dicit actum in casu esse invalidum.

Rev.mus secundus Consultor autem dicit actum esse validum etsi illicitum.

Rev.mus primus Consultor vero proponit ut in textu canonis dicatur quod consensus Ordinarii «*confirmari* debet a Commissione speciali» et de valore huius confirmationis videat doctrina.

Placet sententia Rev.mi primi Consultoris.

His dictis, examinantur singulae paragraphi huius canonis:

§ 1 (= formula Rev.mi primi Consultoris):

Rev.mus Relator proponit: «... de consensu Consilii administrationis, nisi *res sit minoris momenti* ...».

Propositio maiori parti Consultorum non placet.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur «*Ordinarius*» loco «*Ordinarius loci*».

Sed alii Consultores censemt quaestionem differri posse, cum pendeat a novo ordine systematico Codicis.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: «... loci *Ordinarius qui audire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest*».

Propositio omnibus placet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut initio ita dicatur: «*Salvo iure religiosorum, Superior de quo, etc. ...*».

Consultores dicunt quaestionem hanc pendere a novo ordine systematico Codicis.

Exinde § 1 novi canonis sequens erit:

«Legimus superior de quo in can. 1530 est loci *Ordinarius, qui audire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest*».

§ 2 (= Formula Rev.mi primi Consultoris)

Rev.mus Secretarius proponit ut formula proposita a Rev.mo primo Consultore ita expoliatur:

«Si tamen agatur de rebus *quarum valor summam* a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, consensus loci Ordinarii *prius confirmari* debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta».

Propositio omnibus placet.

Committitur Rev.mo tertio Consultori ut redigat formulam § 3^{ae} quae agat de rebus pretiosis, de donariis votivis, et de rebus quorum valor «*summam limitem*» duplo (triplo, quadruplo) excedat.

Talis formula examinanda erit in proxima adunatione.

Adunatio V^a
die 15 maii 1968 mane habita

Rev.mus tertius Consultor praebet Consultoribus formulam § 3 circa res pretiosas:

«§ 3. Si denique agatur de rebus voto Ecclesiae dicatis vel de rebus pretiosis vel de quibusvis bonis quae valorem excedunt duplo (triplo, quadruplo, quintuplo... decuplo) maiorem summa a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione in honorum ecclesiasticorum alienatione definita, Superior (seu auctoritas), competens iuxta §§ 1 et 2, etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

§ 4. Si res alienanda est divisibilis, in petendo consensu...».

Examinatur formula § 3 per partes:

a) *De donariis votivis*

Qoad bona votiva Consultores censem satis esse in praesenti canone firmare principium inalienabilitatis, nisi accedat consensus Sanctae Sedis. Alibi vero determinandum erit quaenam sint dona votiva.

Ad propria rei vocabula quod attinet, aliqui proponunt ut in canone adhibeatur verba «donariis votivis», loco «rebus voto Ecclesiae dicatis».

Rev.mus secundus Consultor autem proponit ut dicatur «rebus ex voto Ecclesia donatis».

Propositio Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet.

b) *De rebus quarum valor multiplice numero excedit «summam limitem»*

Quando valor rei alienandae sit duplo (triplo, etc. ...) maior summa a Conferentia episcopali definita, proponit Rev.mus tertius Consultor ut consensus quoque Sanctae Sedis requiratur ad alienationem faciendam.

Aliqui Consultores suam titubationem exprimunt, ne ex hoc capite Conferentiae episcopales quam maximum limitem valoris rei alienandae defiant, ne cogantur scilicet licentiam S. Sedis petere.

Fit aliqua discussio et tandem propositio Rev.mi tertii Consultoris ab omnibus probatur.

Omnibus Consultoribus (excepto Rev.mo primo Consultore) placet ut consensus S. Sedi requiratur quando valor rei alienandae sit *duplo* maior summa a Conferentia episcopali statuta.

Rev.mus primus Consultor autem vellet ut consensus S. Sedis requiratur quando valor sit *triplo* maior.

c) *De rebus pretiosis*

Rev.mus tertius Consultor memorat in can. 1497 CIC recenseri tamquam «res pretiosas» illas quae conspicuum valorem habent ratione artis, historiae vel materiae.

Rev.mus Secretarius censet quod pretiositas proveniens ex materia nostris temporibus non sit attendenda. Coetus ergo determinare deberet res pretiosas esse illas quibus notabilis valor sit ratione artis vel historiae, et qui-dem determinare quoque deberet quando talis valor sit *notabilis*.

Rev.mus secundus Consultor dicit talem quaestionem pertinere ad titulum de verborum significatione; in nostro canone sufficit determinare conditions ad bona pretiosa alienanda.

Propositio Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet.

Ad alienationem rerum pretiosarum quod attinet variae propositiones habentur:

– Rev.mus primus Consultor dicit sufficere quod consensus Ordinarii confirmetur a Conferentia episcopali etiam quoad res pretiosas. Propterea ipse proponit ut de rebus pretiosis dicatur in § 2 huius can. 1530 bis his verbis: «Si agatur de rebus quarum valor..., vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, consensus, etc. ...».

– Rev.mus tertius Consultor notat res pretiosas ratione artis vel historiae pertinere ad patrimonium totius Ecclesiae, ergo consensus S. Sedis ad illas alienandas necessario requiri.

– Rev.mus secundus Consultor vetare vellet alienationem talium bonorum, vel, saltem sancire vellet ut emptio/venditio eorumdem bonorum habeatur tantum inter personas morales ecclesiasticas.

– Rev.mus quintus et Ill.mus quartus Consultores probant suggestionem Rev.mi primi Consultoris sed tamen censem suggestionem Rev.mi tertii Consultoris praetermitti non posse.

Rev.mus tertius Consultor dicit varias opiniones Consultorum componi posse ex eo quod, in formula § 3 ab ipso proposita, attenditur sive ad iura hierarchiae localis sive ad iura Sanctae Sedis. Est enim Ordinarius qui dar consensus, cui accedit probatio Conferentiae episcopalnis et accedere debet consensus quoque Sanctae Sedis. Exceptio tamen fieri posset si valor sit infra talem vel talem summam, qua in casu non requirendus esset consensus Sanctae Sedis. Notandum est tamen quod pretiositas ratione artis vel historiae difficulter aestimari potest.

Rev.mus Secretarius proponit ut si valor rerum pretiosarum excedat di-

midiam summam a Conferentia episcopali pro aliis bonis alienandis definitam, consensus Sanctae Sedis requiratur.

Consultores, post aliquam discussionem, censem solutionem relinquendam esse altiori instantiae. Placet ergo ut variae formulae, a Consultoribus secundum varias solutiones propositae, referantur ita ut Em.mi Cardinales seligere possint illam quae ipsis magis placuerit.

Formulae sequentes sunt:

a) In § 2 dicatur: «Si tamen agatur de rebus quarum valor summam a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definitam excedit, *vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa, consensus, etc. ...*».

b) «§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis *vel de rebus pretiosis vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, Superior competens etiam consensum Sanctae Sedis ad valide agendum obtinere debet*» (Rev.mus tertius Consultor).

c) «§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis *vel de rebus pretiosis quarum valor dimidiam excedit summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo istam summam (a Conferentia Episcopali statutam), Superior competens, etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet*» (Rev.mi tertius Consultor et Secretarius).

De § 4 omnes Consultores consentiunt circa hanc formulam:

«Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensus irritus est».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut § 5 addatur quae recipiat can. 281 § 4 Codicis Orientalis, id est:

«Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebeant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis».

Propositio Rev.mi quinti Consultoris omnibus placet, excepto Rev.mo primo Consultore, qui censet talem normam esse superfluam.

Adunatio VI^a
die 16 maii 1968 mane habita

Rev.mus Relator proponit ut in novo can. 1530 ter determinentur aliae conditiones ad alienationes faciendas, scilicet iusta causa, aestimatio rei, aliae cautelae a legitimo superiore praescriptae.

a) *De iusta causa*

Rev.mus Secretarius censet in canone firmari oportere principium *iustae causae* ad alienationes faciendas. Ad modum vero exempli recenseri possunt quaenam sint causae iustae. Ideoque formula posset ita redigi:

«Ad alienanda bona ecclesiastica requiritur iusta causa, veluti urgens necessitas, etc.».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Quaestio autem habetur circa varias causas in canone recensendas. Praeter enim urgentem necessitatem, evidentem utilitatem et pietatem, proponitur ut caritas (Rev.mus Relator) quoque et iustitia socialis (Rev.mus primus Consultor) recenseantur.

Fit suffragatio circa singulas causas:

– *urgens necessitas*:

Rev.mus sextus Consultor vellet «*evidens necessitas*», sed aliis Consultoribus magis placet «*urgens necessitas*».

– *Evidens necessitas*:

Omnibus placet.

– *Pietas*:

Omnibus placet.

– *Caritas*:

Omnibus placet.

– *Iustitia socialis*:

Rev.mi secundus, sextus et tertius Consultores nolunt hanc causam recensere, quia causa debet esse *iusta*, importare debet scilicet necessitatem quae sit veluti intrinseca rationi bonorum ecclesiasticorum. Ideoque vel dicatur «*necessitas pastoralis*» (Rev.mi secundus et sextus Consultores), vel dicatur tantum «*iustitia*» (Rev.mus tertius Consultor).

Rev.mus Secretarius proponit ut dicatur «bonum pastorale».

Propositio Rev.mi Secretarii placet, sed Rev.mi primus, quintus et Ill.mus quartus Consultores instant ut etiam *iustitia socialis* recenseatur.

b) *De aestimatione rei*

Rev.mi Relator, primus et tertius Consultores censem aestimationem rei praescribendam esse ad alienaciones faciendas, et quidem *scripto* peragendam ut in actis servetur. Alia ratio accedit ut aestimatio *scripto* fiat: hoc modo periti inducuntur ad aestimationem accuratam et veram faciendam.

Rev.mus secundus Consultor censet aestimationem non esse praescribendam, quia ex natura rei patet bona alienari non posse quin aestimentur et quia iam in canone praecedenti (can. 1530 § 5) dictum est consensum vel consilium praeberi non posse ad bona alienanda, nisi prius constet «de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur», quod quidem importare videtur aliquam aestimationem bonorum.

Fit suffragatio placeatne praescribere aestimationem scripto faciendam: Placet 6; non placet 1.

c) *De aliis cautelis*

Omnibus Consultoribus placet ut recipiatur textus can. 1530 § 2 CIC, aliquibus immutationibus circa formam inductis.

Textus can. 1530 ter erit ergo sequens:

«§ 1. Ad alienanda bona ecclesiastica requiritur insuper:

1º iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale;

2º Aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae serventur ut Ecclesiae damnum vitetur».

Rev.mus tertius Consultor quaerit conditiones recensitae pro alienandis bonis teneantne administratores etiam ad permutationes faciendas.

Rev.mus Secretarius respondit quaestionem hanc ad doctrinam pertinere.

Can. 1531

a) Quoad § 1, ne res alienentur minore pretio quam quod in aestimatione indicatur, sequentes suggestiones habentur:

Rev.mus Relator proponit ut haec norma transferatur in canonem praecedentem § 1, n. 2, ubi de aestimatione rei alienandae sermo fit.

Rev.mi secundus et sextus Consultores censem talem normam esse superfluam, quia iam satis in canonibus praecedentibus cautum est ut Ecclesiae damnum vitetur.

Rev.mus quartus Consultor notat pretia rerum nostris temporibus continuo variare, proinde melius esset, ait, hanc normam omittere quae supponit aliquam fixitatem pretii obiectivi valori rei correspondentis.

Rev.mi primus et quintus Consultores negant talem normam esse superfluam.

Primus Consultor hanc formulam proponit:

«Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur, vel, ea deficiente, quod per liberam emere querentium aemulacionem obtineri potest».

Rev.mus Secretarius proponit ut formula CIC servetur, addito verbo «ordinarie»: «Res alienari minore pretio ordinarie non debet, etc.».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

b) Quoad § 2, circa publicam licitationem rei alienandae, proponit Rev.mus tertius Consultor ut, loco licitationis, praescribatur evulgatio alienationis ita ut nota evadat.

Propositio placet Rev.mo primo Consultori, sed omnes alii Consultores volunt ut § 2 sane omittatur.

Adunatio VII^a
die 16 maii 1968 vespere habita

Consultores prosequuntur discussionem circa canonem 1531.

c) Quoad § 3 circa collocationem pecuniae ex alienatione perceptae, Consultores censem formulam CIC non cohaerere cum canonibus praecedentibus. Pecunia enim ex alienatione percepta impedenda est ad fines qui causa alienationis fuerunt. Proinde Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

«Pecunia ex alienatione percepta ad finem ob quem bona alienata sunt collocetur vel erogetur».

Rev.mus quartus Consultor tamen animadvertisit utrumque casum in canonem distinguendum esse, et commodum scilicet Ecclesiae, et consecutionem finis alienationi causam dantia.

Ideoque Rev.mus Secretarius hanc formulam proponit:

« Pecunia ex alienatione percepta aut in commodum Ecclesiae collogetur aut iuxta alienationis fines erogetur ».

Formula Rev.mi Secretarii placet, tamen Consultores disputant utrum introducenda sint necne verba « *caute tuto et utiliter* ».

Rev.mus secundus Consultor petit ut servetur verbum « *tuto* ».

Rev.mus sextus Consultor proponit: « ... *tuto* collocetur aut... *caute* erogetur ».

Rev.mi Relator et primus Consultor proponunt: « ... *tuto* collocetur aut... *prudenter* erogetur ».

Propositio Rev.morum Relatoris et primi Consultoris omnibus placet.

Can. 1532

Omittitur, quia absorptus est in can. 1530 recognito.

Can. 1533

Fit aliqua discussio circa sensum verborum « conditio Ecclesiae peior fieri possit », utrum scilicet intelligenda sint de peioritate iuridica vel oeconomica. Ad clariorem sensum determinandum tres sequentes emendationes proponuntur:

– « Solemnitates ad normam ..., sed etiam in quolibet contractu *quo ex ipsa natura contractus* conditio Ecclesiae etc. ... » (Rev.mus Secretarius).

– « ... sed etiam in quolibet contractu *quo Ecclesiae patrimonium stabile infirmari potest* » (Rev.mus primus Consultor).

– « ... sed etiam in quolibet *negotio* quo conditio *patrimonialis* Ecclesiae peior fieri potest » (Rev.mus quintus Consultor).

Consultoribus placet formula Rev.mi quinti Consultoris, omissis tamen verbis « (alienatione) *proprie dicta* ».

Can. 1534

Rev.mus quartus Consultor notat in hoc canone redire quaestionem de responsabilitate administratorum quae difficulter solvi potest, quia Ecclesia in praxi nequit urgere reparationem damnorum, praesertim si administratores laici sint. Ideoque Rev.mus quartus Consultor proponit ut si bona ecclesiastica illicite alienata sint, ad competentem auctoritatem spectet quaestionem examinare et decidere circa actionem personalem vel realem contra alienantem.

Aliqui Consultores concordant cum Rev.mo quarto Consultore, sed Rev.mi secundus, quintus et tertius Consultores putant can. 1534 § 1 retineri posse quia semper erunt casus in quibus canonies iuris canonici in praxi deduci poterunt in foro ecclesiastico.

Post aliquam discussionem, committitur Rev.mo primo Consultori ut redigat formulam can. 1534, in proxima adunatione examinandam.

Adunatio VIII^a
die 17 maii 1968 mane habita

Rev.mus primus Consultor praebet Consultoribus formulam can. 1534:

« Si quando bona ecclesiastica sine quidem debitibus canonice, in forma tamen civiliter valida, alienata fuerint, superioris competenteris est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quoniam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda ».

Rev.mus secundus Consultor dicit finem canonis esse ius ad actionem Ecclesiae in suo foro vindicare, proinde canonem retinendum esse prout in CIC. Utrum conveniat necne in casu particulari tali iure uti, videat superior competens, de qua re tamen dicatur in § 3.

Rev.mi primus Consultor et Secretarius vero dicunt finem canonis esse *alias determinationes sancire*, praeter ius Ecclesiae ad actionem, quod nempe actio extendatur etiam contra heredes et quod etiam alii, praeter eum qui rem alienavit, agere possunt contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem. Ius enim ad actionem in alio loco Codicis (can. 1667) sancitum est.

Nunc vero melius videtur tales determinationes committere prudentiae competentis superioris.

Rev.mi secundus, quintus et tertius Consultores concedunt actionem contra heredes supprimendam esse, tamen praferunt formulam CIC, addita § 3, his verbis:

«Prudentiae superioris competentis committitur concessio licentiae ad instituendam actionem ad normam §§ 1 et 2».

Suffragatur placeatne formula Rev.mi primi Consultoris:
Placet 4; non placet 3.

Decernitur quod in textu canonum in fine huius relationis apposito, transcribendae sunt sive formula maioritatis sive formula minoritatis.

Can. 1529

Omnis Consultores censem hoc loco ponendum esse canonem de canonizatione iuris civilis in materia contractuum et solutionum, qui canon erit 1534 bis.

Ill.mus quartus Consultor nolle canonizationem sed remissionem ad iura civilia. Suo enim iudicio, Ecclesia in re patrimoniali non est independens a iure Status. Fatetur utique quaestionem esse theologicam quae attingit ipsam naturam Ecclesiae ut societas perfecta. Sed ipse censem talem sententiam societatis perfectae non amplius sustinendam esse.

Fit suffragatio placeatne canonizatio an remissio ad ius civile:
Placet canonizatio: 4.
Placet remissio: 2.

Rev.mus tertius Consultor vellet canonizationem non tantum in materia contractuum et solutionum sed etiam circa omnia negotia patrimonialia, nisi aliud iure canonico communi vel particulari caveatur.

Sed Rev.mus Secretarius animadvertis canonizationem denotare aliquid minus gratum Ecclesiae. Qui ex ipsa arguitur impossibilitas Ecclesiae confiendi suum ius. Quapropter canonizatio quam maxime restringenda esset.

Ad formulam canonis quod attinet, Rev.mus Relator quaerit quid censem Consultores de § 2 addita in Codice Orientali, qua determinatur quaenam sit lex civilis in concreto pro singulis negotiis servanda.

Ill.mus quartus Consultor dicit quod per illam paragraphum graves confusiones haberentur, quia singula iura civilia suas leges habent de iure internationali. Praeterea, addit Rev.mus tertius Consultor, normae iuris internationalis continuo evolvuntur, quapropter servare iuvabit enunciacionem genericam quam habet CIC.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo tertio et Ill.mo quarto Consultoribus.

Rev.mus Relator quaerit placeatne formula can. 1529 CIC.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut omittantur verba « tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis ».

Rev.mus Secretarius vero proponit ut deleantur tantum verba: « sive nominatis sive innominatis ».

Propositio Rev.mi Secretarii omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « in re quae iurisdictioni Ecclesiae subest » loco « in materia ecclesiastica ».

Propositio Rev.mi primi Consultoris omnibus placet.

Formula ergo canonis erit sequens:

« Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie et de solutionibus, eadem in iure canonico in re quae iurisdictioni Ecclesiae subest iisdem cum effectibus serventur, nisi iure divino contraria sint aut aliud iure canonico expresse caveatur ».

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1527

§ 1. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum exce-
dant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scrip-
to dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos, qui damna eidem intulerunt.

Can. 1530

Ad alienanda bona quae alicuius personae moralis ecclesiasticae ex legi-
tima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus
legitimi superioris, sine quo alienatio invalida est.

Can. 1530 bis

§ 1. Legitimus superior de quo in can. 1530 est loci Ordinarius qui au-
dire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quo-
rum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus *quarum valor summam* a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, [vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa], consensus loci Ordinarii *prius* confir-
mari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferen-
tia statuta.²

² N.B.: De rebus pretiosis vel dicetur in § 2 vel dicetur in § 3.

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis [vel de rebus pretiosis], vel de quibusvis bonis quorum valori excedit duplo summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, superior competens etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

— *alia formula § 3:*

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis quarum valor dimidiā excedit summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo istam summam (a Conferentia episcopali statutam), Superior competens, etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet.

§ 4. Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensu irritus est.

§ 5. Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.

Can. 1530 ter

§ 1. Ad alienanda bona ecclesiastica requiritur insuper:

1° Iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale.

2° Aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae serventur ut Ecclesiae damnum vitetur.

Can. 1531

§ 1. Res alienari minori pretio ordinarie non debet quam quod in aestimatione indicatur.

§ 2. Pecunia ex alienatione percepta vel in commodum Ecclesiae caute collocetur, vel iuxta alienationis fines, prudenter erogetur.

Can. 1533

Solemnitates ad normam cann. 1530-1531 requiruntur non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio quo conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.

Can. 1534 (formula maioritatis Consultorum)

Si quando bona ecclesiastica sine quidem debitis solemnitatibus canonis, in fama tamen civiliter valida, alienata fuerint, superioris competentis est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quonam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda.

Can. 1534 (formula minoritatis Consultorum)

§ 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitis solemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit; realis vero, si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.

§ 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus, quae damnum passa sit.

§ 3. Prudentiae superioris competentis committitur concessio licentiae ad instituendam actionem ad normam §§ 1 et 2.

Can. 1534 bis

Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae iurisdictioni Ecclesiae subest iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.